

GRATVLATIO ELEGIACA IN-

golstadij publicè in celeberrimo Magistrorum

ACTV AFFIXA, ET IOANNI GRO-

ningo Algesino nuncupata, Abrahamo

Loeschero promotore, Anno

M. D. LVI.

J. S. 56.

Casparo Macro Albino autore.

Gaudia mille tibi laturum perlege Carmen,
 Pectoris ò ingens portio lane mei.
 Hoc licet exiguo gratandi munere fungar,
 Tu magni facias carmina nostra tamen.
 Te quibus hic uolui patulis affigere ualuis,
 Ausoni.èq; modis irradiare Chelys.
 Cernimus interdum radiantem prædita pelle
 Poma, eademq; suis uermibus esse cibum.
 Carpinus auratos reuidenti ex arbore fructus,
 Quos deforme tamen tegmen habere uides.
 Sic tibi si nitidum non præbent carmina uultum,
 Credito, candorem carmina cordis habent.
 Ergò alij recinant Cyllenia dona parentis,
 Qui regit in medio numina casta choro:
 Vel resonent clario uires quæ carmine sese
 Ostendunt, Helicon pectora quando fouet.
 Vel Clament Musas, Veneres, Charitesq; Deasq;
 Talia dum solito carmina more canunt.
 Quis Deus è rutilo ueniet speratus Olympo?
 Aut prece sollicita quem mea Musa petet?
 Quod tenerum plectro carmen resonabit eburno?
 Qualia clarifona cornua uoce reget?
 Tempora qua cinget lauro, qua Phocidos unda
 Hauriet Ausonio Delphica uina cadet?
 Cuius è infister plantis generosa Poët.è?
 Quam colet Aemoniam Phæbe canore Lyram?
 Non esset mirum, peterem si dulcia ab Orpheo
 Organa Threicio, Pindaricamq; chelym.
 Ut quæ suscepi prolixo dicere uersu,
 Festiuus resonem, carmine, uoce, stilo.
 Vatis hic mos est, uano de numine numen,
 Poscere, seq; modos sic dare posse putant.
 Ast nobis placuit patulis te affigere ualuis,
 Inter è Ausonios irradiare modos.
 Tu pater in coelis, terra moderator, è Orti
 Aspira uati carmina pauca tuo.
 Te sine nulla Deum, nec sunt in carmine uires,
 Te sine Pimpleæ, Phœbus è ipse tacet.
 Tu facis, ut cunctis decus indelebile detur,
 Quotquot in his Sophiam cerno docere scholis.
 Immortale decus uerè, nomenq; perenne
 Impetrat in tantis Musica turba locis.
 Quisquis adhuc properè sudans uiuaria curret,
 Ille sui studij præmia digna feret.
 Hic etenim floret Lycius pater, atq; Camæne,
 Et quauis celebres cernis in arte uiros.
 Quos ad honestatem comites tibi sumere debes,
 Ne uitæ perdas tempora fluxa tue.
 Hic te non species doctrinæ fallit, è ergò
 Artes è mores perspicere, doctus eris.
 Hic tua quò uigeat uirtus post fata superstes,
 Excole cum doctis clara Lycæa uiris.
 Aurea candidulis hic floret moribus ætas,
 Artis in precio quisquis habere solet.
 Hic licet ad summos Dryadum conscendere montes,
 Hic tua Pegaseo labra rigare mero.
 Hic non ingenij longo decus excidit æuo,
 Doctus ab exemplis, cautus è esse potes.
 Ocia nulla uides, nullius uitæ laboris
 Expers, Meonium pectore uersat opus.
 Nam mala difficiles progignunt ocia lapsus,
 Ansæq; pestiferi sæpe suere mali.

Segnibus est raro sua merces tradita, nunq̃
 Indignis lauro tempora cincta micant.
 Et tranquilla terit qui deside tempora somno,
 Huic Clarium Musæ non caput esse uolunt
 Qui studio sudat uigili noctesq; diesq;
 Ille laboris habet clara trophæa sui.
 Nectibi longa uia est, noli dubitare, terenda,
 Nam datur ad Musas currere trita uia.
 Gratulor ergò tibi præsentem carmine, cum sis
 Pectoris ò ingens portio lane mei.
 Tu uerum recto cupijsti tramite callem
 Doctrina, ingenij uiribus, eloquio.
 Tu longas hyemes, rapidos tu sæpè calores
 Vicijsti tantæ tempore militiæ.
 Quò te non fugiant Diui monumenta Platonis,
 Aut rutilans summi flumen Aristotelis:
 Ingenuas miles didicisti strenuus artis,
 Spectasti ad mores, mundici.èq; decus.
 Vrbs te etiam celebris teneras produxit in auras,
 Spumea quam uitreis lambit Hieræ uadis.
 Scribere non possum, quantum profeceris illic,
 Nanq; operam studij publicus addit honos,
 Nempe ad Palladias sudasti fortiter arceis,
 Sectando Aænij Cynthia castra forti.
 Sed quò delabor? plectrum non sufficit illud,
 Quod teneros clangit, doctæ Groningæ, sonos.
 Es quia nunc tantis titulis, è honoribus auctus,
 Ut tenerum uerear concinuisse plectrum.
 Exhibitum superat uirtus longissimè honorem,
 Exuperatq; gradum mens bene culta tuum.
 Te laudant lepide uocalis turba Camæne,
 Te decorat constans, è sine fraude fides.
 Sic ut Pierias Sophia modereris habenas,
 Atq; Magisterij munera magna geras.
 Non reliquas dicam uernanti in corpore laudes,
 Adiuuat ingenium forma probata tuum.
 Has igitur dixi succincto carmine dotes,
 Quas propter laudum munia magna tenes:
 Loescheri referam quid laudes? callet ad unguem
 Quidquid agit Latium, Græcia quidquid agit.
 Contigit iste tibi, tantos tibi adauxit honores,
 Et tibi pro meritis præmia digna tulit.
 Hunc sua mens, suus atq; labor, sua lingua beabunt,
 Ornatum facient laudibus ista uirum.
 Viue Groningæ diu, Pyllosq; Magister in annos,
 Viue diu tantæ pars bene iuncta scholæ.
 Hic Deus eximia qui te bonitate creauit,
 Et qui principium carminis huius erat:
 Hic bene disponat, simul è tua facta secundet,
 Sic tuus in rutila sede micabit honos.

Epigramma ad eundem.

Nonne tuum miro patrem dilexit amore
 Hæsus, Hiantei gloria summa chori?
 Sunt testes Musæ, sunt è monumenta librorum,
 Quæ nunc æterna prædita luce micant.
 Te quoq; ego simili natum complectar amore,
 Per Charites iuro, per triplicesq; Deas.
 Tu patris exhibeas animum cordisq; calorem,
 Præstabit mentem nullus at, Hæse, tuam.
 Quare si in magnis animorum sufficit ardor,
 Quod dare non possum carmine, mente dabo.

Gym
 Sy
 hinc
 a m
 us
 hinc
 plus

Groning
 Hæsus

